

Quaquam, ob crimina maiorum, in tam misera conditione sumus constituti, ut, habita nulla ratione temporis, multae nobis calamitates, multi morbi, multa uitae discrimina, imo acerbissima denique mors subeunda sit, praesertim tamen timendos esse annos, quos  $\kappa\alpha\iota$ , qui, ut loquitur Gellius, rerum uerborumque studio tenentur,  $\kappa\alpha\iota$   $\mu\alpha\kappa\theta\eta\pi\iota\kappa\omicron\upsilon\tau\epsilon$  appellant, adeo notum est, ut inter uulgus, infimaeque sortis homines, constet. Tales equidem audiendi non sunt, qui, ob confictam numeri septimi sanctitatem, quod illius, in Sacro Codice, saepe fit mentio, et alia, quae afferri solent, somnia, magnam huic tempori tribuunt uim, multisque id impeditum esse periculis, contendunt, sed, cum innumeros homines, quorum non paucos, in suis

*Tom. II*  
*Colloqu.*  
*IV*  
*Diebus Canicularibus*, commemorat Simon Maiolus, hac aetate decedere, comperiamus, persuadere mihi facile nemo, omnia, quae, hac de re, traduntur, esse falsa. Quorsum uero haec, quasi non aliis quoque annis mortui essent homines, quorum si quis literis consignasset numerum, de principatu inter sese contendere possent, cum, tot in primo statim anno, quot in nullo alio, supremum diem obire, uideamus. Quod si uero illos paullo consideramus accuratius, cognoscimus, eos plerumque aut a natura ita comparari, ut, ob imbecillitatem, uiuere diutius nequeant, aut, neglectu atque inscitia parentum, uel eorum, quibus cura liberorum solet demandari, pessime corrumpi, ut non raro praecipua mortis causa in iis sit quaerenda. At multo aliter habent se se anni  $\kappa\alpha\iota\mu\alpha\kappa\theta\eta\pi\iota\kappa\omicron\iota$ , quorum uim perniciosam non a tempore, sed ab humoribus potius, eorumque mutationibus, et aliis affectionibus, pendere, existimant celeberrimi naturae peruestigatores, sic, ut naturam etiam, in his annis omnibus, afferre quid memoratu dignum, asseuerare non dubitent. Memum autem non est, inquirere haec subtilius, quae Claudius Salmasius, Baptista Codronchus, Ambrosius

fius